

C. IVLI CAESARIS

COMMENTARIORVM

DE BELLO CIVILI

LIBER PRIMVS

. . . LITTERIS [a Fabio] C. Caesaris consulibus redditis 1
aegre ab his impetratum est summa tribunorum plebis
contentione ut in senatu recitarentur; ut vero ex litteris ad
senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt con- 2
5 sules de re publica infinite. L. Lentulus consul senatui
rei publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac
fortiter sententias dicere velint; sin Caesarem respiciant 3
atque eius gratiam sequantur, ut superioribus fecerint tem-
poribus, se sibi consilium capturum neque senatus aucto-
10 ritati obtemperaturum; habere se quoque ad Caesaris
gratiam atque amicitiam receptum. In eandem sententiam 4
loquitur Scipio: Pompeio esse in animo rei publicae non
deesse, si senatus sequatur; si cunctetur atque agat lenius,
nequiquam eius auxilium, si postea velit, senatum implora-
15 turum.

Haec Scipionis oratio, quod senatus in urbe habebatur 2
Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompei mitti videbatur.